



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Confessor sacramenti quas debet habere conditiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

84 Confess. conditiones.

omnia hæc, quòd quando oportet iterare confessionem, si eidem confessori persona confitetur, non oportet iterare particulariter replicando, sed sufficit dicere, Dico meam culpam de illis omnibus quæ aliàs dixi Pa. v. & poenitentiam taxatam ab eodem in memoriam reuocare saltem modo superius explicato: ut sic confessio olim facta perficiatur & continuetur cū noua contritione, satisfactione, & forma sacramenti.

Confessor sacramenti quas debet habere conditiones.

Confessor debet habere quinque conditiones, potestatem, scientiam, prudentiam, bonitatem, sigillum. Et de potestate quidem tam ordinis quàm iurisdictionis dictum est & paulò antè, & in verbo, Absolutio. De scientia autem, in cap. omnis utriusque sexus. de poeni. & remis. dicitur. Sit discretus & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris & peccati circumstantias, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vrendo ad soluendum ægrotum.

Vnde euidenter apparet, confessorem oportere habere scientiam inquisitiuam de circumstantiis peccatoris & peccati, & scientiam medicatiuam animæ ægrotæ. Et prima quidem scientia necessaria est simpliciter confessori ad cognoscendum & iudicandum: quòd constat esse officium confessoris, quum verè & propriè sit iudex in foro poenitentiali. Secunda autem scientia requiritur ad confessorem, quatenus se habet ut medicus animæ. Et quia hoc non conuenit confessori nisi metaphoricè, nec totaliter, nisi sit pastor: ideo ista secūda scientia minus requiritur quàm prima. Oportet ergo secundum sacros Canones confes-
sessorem

Confess. conditiones. 85

Confessorem habere tantam scientiam, ut sciat circumstantias peccatoris & peccati: siue hæc sciat Latine, siue vulgariter. Et quoniam inter circumstantias peccatoris & peccati constat computari, si excommunicatus est peccator, & si tenetur ad restitutionem, & si est in statu perseverandi in peccato mortali, & si quid aliud est simile, & si peccatum est reseruaturn superiori, & si confitens est sibi subditus quò ad hoc: ideo scire prima tria horum tenetur quilibet confessor: quartum verò (scilicet casus reseruatos) quilibet impotens absoluerè à reseruatis: quintum autem quilibet qui non vniuersalis totius mundi confessor est. Et si confessor hæc nescit, & aliàs est idoneus: antequam audiat poenitentem, prædicet ei, ut liquidet se cum doctis, si incidit in aliquam excommunicationem, & quò det sibi notitiam casuum ibi reseruatorum, &c. Sine autem hac prima scientia nescio excusare à peccato mortali audientem confessiones: nisi per accidens: puta quis poenitens supplet scientia, aut practica, aut conscientia, quia scitur esse personam sine huiusmodi laqueis. Hanc autem scientiam non ita intelligo exigi, ut omnia peccata, & excommunicationes, & circumstantias in promptu habeat, sed quòd sciat sic, ut audiendo confessionem, sciat dubitare de excommunicatione, de reseruatione, de statu, de restitutione, &c. Ut habito consilio vel recursu ad librum sciat iudicare. Ratio autem necessitatis huius scientiæ est: quia sine illa officium iudicis exercet, cæcus cæco ducatum præbens: & non nisi à casu rectè iudicabit. Secunda autem scientia debet se extendere ad minus, ad hoc, ut sciat oleo diuinæ misericordiæ, vel vino diuinæ iustitiæ impoenitentem emollire, desperatum exigere, pusillanimum confortare, aut remittere ad meliorem confessorem: & breuiter in remediis necessariis ad salutem, aut per seipsum sciat

86 Confessori neces.

providere, aut remittere ad alium meliorem seu doctiorem, vel saltem sciat seipsum exonerare, dicens, Fili, quære alium confessorem pro salute tua: quia ego non possum meæ conscientia satisfacere de casibus tuis. Tertium necessarium confessori, est prudentia: quia post admissum poenitentem pro subdito, hortetur ut dicat, ut sciat peccata de quibus ipsum conscientia remordet, & præcipuè grauiora: permittatque dicere etiam crassissimo modo: ut vel sic ipse confessor sciat, quibus est inuolutus peccatis ille poenitens, & de quibus interrogaturus est. Deinde interroget prudenter circa proposita, & si quæ alia verisimiliter putat, aut dubitat omissa, de reliquis non interroget. Interrogando autem non sit molestus, nimis exactè quærens numerum æstimatum: non sit scandalosus sibi aut poenitenti, nimis quærens circumstantias venereorum. Hoc nanq; ultra peccatum superfuitatis est, præcipitare se aut poenitentem in tentationem. Nimis autem quæritur, quando habita peccati specie adhuc quæritur, verbi gratia, si mulier confitetur se cognitam extra vas naturale, sufficit, & non quærat in qua parte corporis: imò instruat, ut omnes vices quibus extra naturale vas est cognita, simul adunet: & non aliter explicando dicat. Peccaui extra toties, nec ad plus tenetur. Et si peccatum est molitiei voluntariae, non quærat quomodo, & sic de aliis. Nec excusent se confessores super ignorantia aut desolatione poenitentis: quoniam sic declaretur poenitenti, quod sufficit dicere speciem, & quod non expedit dicere, nec ad memoriam reuocare huiusmodi obscenos modos, sed doleat de offensa Dei, fugatur ignorantia, & aduenit consolatio. Et quod de his dixi, intellige de reliquis superfluis. Debet quoque esse prudens in vocabulis, ut non nomet turpiter quæ turpe est audire: ut si de modo naturalis vsus coniugii instruendus est peccatis

Confessori neces. 87

poenitens, potest dicere quod est, vt mulier faciem habeat versus coelum, & vir versus terram: & sic intelliget, si opposito modo fuerit, aut si spatulas habuit mulier ad virum. Et sic honestis vocabulis, quando oportet instruat poenitentem confiteri, & seipsum interrogare. Et haec sint dicta causa exempli. Multa opus est confessori prudentia circa media, quibus poenitentem inducere debet ad duo potissime: scilicet ad displicentiam maximam offensarum Dei, & ad propositum firmum mutandi vitam: ita quod amplius non offendat Deum mortaliter: Et ad primum quidem ex parte ipsius Dei summi optimi, creatoris, redemptoris, benefactoris, gubernatoris &c. expedit procedere. Ad secundum vero excidendo causas quare cecidit: puta malam societatem, frequentationem talis loci, &c. proponendo quoque periculum mortis repentinae, grauitatem ingratitude in reciduo. exempla de terra saepe compluta & instructuosa, ad Heb. vi. & similia. His enim duobus debet praecipue confessor studere: quoniam omnis fructus est, vt auferatur peccatum: & melius est audire duos bene, quam viginti perfunctorie. Sit denum prudens circa satisfactionem imponendam: vt commensurata sit poenitenti magis, quam peccatis. Declaret quidem quanta peccatis suis debetur, imponatur fructuosa, exhortetur ad reliquam per seipsum exoluendam. Nec laudo imponentes breuissimam satisfactionem, sunc explendam, quasi solam sacramentalem. testis siquidem est huiusmodi actio animi minime poenitentis, minime reuersionis ad Deum, cuius oppositum supponere debet confessor: imò talibus est differenda communio, vt interim in operibus misericordiae exerceantur. Non cognosco hanc prudentiam esse, sed cautelam non secundum virtutem. Non est forum poenitentis foro mercium adlimilandum.

88 Confessori neces.

Non sunt confessores vt mercatores, vt dispendium patiantur, si ad forum non concurratur. Non eget Christus nostris imprudentiis. Quartum ad confessorem requisitum est bonitas: vt scilicet sit sine peccato mortali: hoc est, vt nullum habeat mortale peccatum, de quo non sit contritus formaliter vel virtualiter. Nam si quis in peccato mortali existens, ministraret sacramentum poenitentiae, incurreret crimē sacrilegii: quoniam indignè tractat sacramentum: & quantum in se est, polluit sacramentum sua iniquitate. Et ideo qui accedit ad audiendas confessiones, debet prius probare seipsum, saltem in generali: dicendo vere suam culpam de omnibus commissis, cum vero proposito amplius non peccandi mortaliter, & satisfaciendi Deo, &c. sic contritus ministret sacramentum. Quintum confessori necessarium, est sigillum confessionis: hoc est debitum efficax sacramentandi confessionem auditam. Reuelans enim confessionem, mortaliter peccat: quia sacrilegii iniuriam infert sacramento: ex cuius natura est, vt confessor nihil sciat, vt homo. Vbi scito sigillum confessionis obligare ita ad secretum, vt nullo præcepto, nullo metu, nulla vi excusari possit: imò potest iurare se nihil scire, si de alicuius peccato quod in confessione tantum scit, interrogetur. Et si interrogatus fuerit, an in confessione sciat talem furtum fecisse, potest liberè iurare, Ego nihil scio: sed non addat in confessione, nec tenetur respondendo addere, nec respondere secundum mentem interrogantis. Et nota quòd si ego sciam cum toto populo Magdalenam concubinam, & Magdalena mihi confessa sit de peccatis suis, specialiter de concubinato suo, si ego postea dixerò, Magdalena confessa est mihi peccata sua, non reuelo confessionem, quia confessio non fit, nisi de peccatis. Sed si dixerò, Magdalena confessa est mihi de concubinato

Confessori neces. 89

binatu suo, iam reuelo confessionem: quia concubina-
 natus, vt cognitus per confessionem, manifestatur.
 & simile est de usurariis, & de aliis peccatis. Et pro-
 pterea confessor, cum audire eum contingit confes-
 siones publicorum peccatorum licetiam petat à pœ-
 nitente loquendi de istis publicis, ad dicendum quod
 iste confessus est de tali peccato, & reliquit illud, &
 petit veniam de scandalo, & mandat restitui, &c. Po-
 test tamen sine omni licentia dicere. Ego auditi con-
 fessionem istius: ritè confessus est, absolutionis bene-
 ficium impendi: hæc enim bona generalia potest di-
 cere. Sed si non absoluat, & oporteat respondere in-
 terrogantibus, debet dicere. Ego feci officium meum,
 vel aliquid huiusmodi. Si tamen diceret. Ego illum
 non absolui, non esset de iuris rigore reuelator con-
 fessionis: quia ista negatio nullum manifestat pecca-
 tum confitentis: quia potest ex pluribus causis proue-
 nire. Ex parte quidem confessionis: puta quia confes-
 sio non completa: vt contingit in producentibus vnâ
 confessionem per multos dies, & ex aliis causis. Ex
 parte verò confessoris: quia noluit absoluere: vt con-
 tingit iis qui proprii capitis sunt. Ex parte quoq; pœ-
 nitentis: quia pœnitenti non satisfacit confessor, &
 ex pluribus aliis causis. Quia tamen suspicio non ir-
 rationabilis, impœnitentiæ confitentis ex his verbis
 quandoque generatur: non est dicendum. Ego illum
 non absolui: sed, Ego feci officium meum. Nullo au-
 tem modo excusari posset, si diceret causam: puta, nō
 absolui quia non vult restituere: quia est impœnitēs
 seu obstinatus: quia non vult relinquere cōcubinam.
 Hoc enim manifestè confessionem reuelat. Curatus
 autem quum ad comicandum concubinarios, usura-
 rios, & huiusmodi vocatur, non petat à confessore si
 est absolutus: sed etiam si ipsemet illius confessionem
 audisset, & non absoluisset, habeat se tanquàm si ni-

90 Confessori neces.

hil ex confessione sciret: & dicat, Quia iste haftenus fuit & est: quantum apparet in tali peccato publico: & peccatum publicum debet publica pœnitentia apud homines purgari propter scandalum: ideo nisi publicè constet te vel illum reliquisse peccatum, nolo communionem dare, nec ad Ecclesiasticam sepulturam admittere. Et sic absque hoc quod ipse reuelet confessionem, negabit comunionem, &c. iustè & sanctè. Si quoq; diceret, ego non possum, aut potui ipsum absoluerè: quia non video pœnitentiam publicam de peccato publici concubinitus, apostasiæ, vsuræ, &c. non reuelat confessionē, quia nihil dicit, quod sciat per confessionem, sed quòd tam ipse quàm alii vident, scilicet nō pœnitere publicè de peccato: quum debeat publica pœnitentia præcedere absolutionem, si peccatum est publicum: ita quòd saltem debet pœnitens publicè satisfacere publico Ecclesiæ scandalo, docendo publicè quòd reliquit cōcubinam, quod restituit, quòd &c. Aliud quippe est dicere, Iste non facit aut facit pœnitentiam publicè, & aliud est dicere, Iste non vult pœnitere, iste est obduratus in peccato suo. Hoc enim confessor per confessionem scit: quia ille dixit confitendo. Ego nolo relinquere statum meum malum. Illud verò cōfessor videt sicut cæteri: & ideo hoc tacendum, & illud dicendum est. Extenditur autem confessionis sigillū non solūm ad occultandum peccata in confessione audita, quatenus sunt peccata illius qui confessus est: sed etiam ad occultandum omnia in confessione audita, quatenus per illorum aliquid posset percipi, vel in suspicionem duci peccatum aliquòd illius qui confessus est.

Et obligatur confessor sigillo confessionis, siue absoluerit, siue non: quoniam peccata sunt ei dicta, non ut homini, sed ut Deo: siue subsequuta fuerit absolutio, siue non.

Bed

Confessori neces. 91

Sed si non in sacramentali confessione, sed secretum committendo dicatur alicui, Hoc tibi dico in penitentia seu sub sigillo confessionis: non propterea obligat ibi sigillum confessionis: quoniam sigillum confessionis non potest inueniri sine sacramentali confessione: quoniam non est humanæ auctoritatis, sed solius, diuinæ institutionis vinculum sacramentale. Et scito quod huiusmodi secreta extra sacramentalem confessionem dicta sub sigillo, &c. si audiens non acceptat se recipere sub sigillo, non tenetur: si verò acceptat, tenetur ex promissione sua, iuxta aliorum iura secretorum, minus quàm si iurasset tenere secretum: quia iuramentum est maius vinculum quàm promissio assimilandi sigillum confessionis.

Sacramentum confirmationis contemnens peccat.

Confirmationis sacramentum (quod Christus vocatur) negligens accipere, peccat: quia debet esse sibi sollicitus de sacramento communi omnibus Christianis ad robur fidei à Christo instituto. Non peccat tamen mortaliter, si desit contemptus: quia sacramentum hoc nec est necessitatis absolute, nec ex exactione Ecclesiæ.

Coniuratio seu conspiratio vitiosa.

Coniuratio, quæ & conspiratio dicitur (qua plures fidei sibi inuicem præstita cōueniunt ad malum aliquod patrandum, vel ad se tuendum contra publicam potestatem, vel ad non parendum in aliquo) communiter est peccatum mortale & scandalosum: quia communiter est contra bonum publicum vel alicuius privati: licet rarius hoc videatur accidere.

Con-